

## Arcangeli Mercenarij.

materie in qua operatur, & ratione instrumenti sibi inferuientis, ex qua resolutione id corrolariè colligitur quòd generatio substantialis non fit successiue, sed in instanti, sed licet forma substantialis in indiuisibili consistat & gradus indiuuales nò habeat, attamen una forma substantialis est maioris perfectionis quam alia, loquendo de formis diuersarum specierum: nam cum species entium sint sicuti numeri, sicut species numerorum non equaliter distant ab unitate, ita due species non equaliter distant à primo principio quod est summa unitas, & per consequens non sunt equalis perfectionis, & hoc pacto in substantia inuenitur magis & minus, idest essentia perfectior, & ignobilior: quibus sic explicatis discutiamus modo rationes Auerrois & alias in contrarium aductas, & ad primam Auerrois concedimus illud assumptum, quòd elementa formaliter, & actu sunt in mixto, cum autem dicitur si formæ elementorum non remitterentur, sed integra manerent in mixto, generatio mixtorum esset alteratio, & forma superueniens esset accidens: negatur consequentia, ad probationem respondetur quòd illa propositio ita intelligenda est, quòd omnis transmutatio adueniens enti in actu determinata speciei & non ordinabili ad ulteriorem formam alteratio est, etenim non quilibet actus existens in materia, nec quodlibet subiectum in actu tollit rationem generationis, & rationem substantia in forma adueniente, sed actus qui constituit subiectum in actu determinata speciei, nec ordinabilis est ad ulteriorem formam, iam uero licet elementorum formæ integre supersint in mixto faciantque materiam in actu, quia tamen non faciunt subiectum in actu quod sit determinata speciei, quia materia informata formis elementorum non est alicuius præfinitæ speciei, sed relinquunt potentiam in materia ad ulteriorem formam, proinde non sequitur quòd generatio mixti sit alteratio, & forma superueniens sit accidens. quam responsionem lubet comprobare ex ipso Auer. ut eius inconstantia conspicua fiat. Auerroes in epitom. Met. tract. primo in dictione materia distinguit materiam primam à materia habente formam: hanc autem in duo genera distribuit, alia namque, dicit, est materia que habet formas elementorum refractas, alia uero que integræ formæ habet sicut est materia uegetali anima insignita, sentiente animâ receptura, uult itaq; Auer. quòd anima uegetalis quæ actualior est quàm formæ elementorum integra maneat in materia cum recipit animâ sentiente, & tamen saluatur generatio, & ratio substantia in anima sensitiua superueniente, ergo etiam si formæ elementorum quæ imperfectiores sunt anima uegetali in mixto maneant integra, & non remissa multo magis saluabitur generatio mixti, quare alterum duorum secundum ipsum dicere oportet, aut quòd anima uegetalis quæ de ipsius sententia in materia manet, cum recipit animâ sentientem, necessariò remittatur, ut saluetur uera generatio formæ aduenientis, quod tamen ipse nò cõcedit, cum sit forma perfecta, aut quòd non quilibet actus integer manens in ma-